

EPITAPHIUM GRIMALDI

AUCTORE HARMOTO

(*Hist. litt. de France*, tom. V, p. 404.)

Hic manet interius divinæ legis amator
Grimaldus humilis templum hoc qui condere jussit.

ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII.

SANCTUS REMBERTUS

HAMBURGENSIS EPISCOPUS.

VITA SANCTI REMBERTI

AUCTORE ANONYMO, EJUS ÆQUALI.

(Apud Mabill. *Acta SS. ordinis S. Bened.*)

PROLOGUS.

Scripturi Vitam cum omni semper veneratione memorandi Remberti pontificis, et quæ officii ejus primitus occasio fuerit, aut quem ad hoc institutorem vel conversationis profectum habuerit, seu qualiter ad hoc electus deinceps vixerit, in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus.

CAPUT PRIMUM.

Cum imperator Ludovicus Regni Francorum monarchiam teneret, auctori sublimationis suæ Deo talem devote vicem reddere curavit, ut ecclesiæ Dei in regno ejus constitutæ decenti vigori proficerent, servorum quoque et ancillarum Dei status cum honoris incremento latius excresceret. His ejus assiduis meditationibus ex divina inspiratione subintravit etiam memoriam, qualiter serenissimus pater suus Carolus cognomento Magnus, gentem Saxonum eotenus, infidelem ad fidem Christi converterit, usque ad huc ordinatis per ipsam provinciam sufficienti numero episcopis, et sedibus eorum provide distributis, extremum ad plagam aquilonarem ejusdem provinciæ partem ad hoc reservaverit, ut ibidem archiepiscopalis constitueretur sedes, unde prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis, Sueonum, Danorum (a Norveorum, Farriæ, Gronlandan, Islandan, Scridwndan), Slavorum, necnon omnium septentrionalium et orientalium nationum quocumque modo nominatarum, qui paganis adhuc erroribus involvuntur.

CAPUT II.

Sed ad hoc opus constructa est tantum et dedicata Hammaburgensis ecclesia in confinio Danorum et Slavorum, in extremis videlicet partibus Saxonum inter eos qui dicuntur Nordalbingi: et una cum incolis locorum eadem ecclesia jussu ejusdem

A gloriosi imperatoris Caroli ad gubernandum est presbyteris commissa, donec opportuno tempore, deputatis prius ad locum episcopalibus sufficientiis, archiepiscopum faceret ibidem consecrari. Ipso autem ante hujus effectum voti ex hac vita sublato, piissimus filius ejus jam dictus Ludovicus cum fidelibus suis hanc ejus intentionem retractans, Ansgarium summæ sanctitatis virum, ut pater decreverat, privilegii archiepiscopalis et ordine et nomine sublimari, et jam dictæ novellæ ecclesiæ rudibusque adhuc in fide populis rectorem, ac gentibus, ut dictum est, necdum fidelibus erogatorem verbi divini fecerat ordinari. Cujus a pueritia in Dei timore conversationem, vel cum ætatis processu virtutum incrementa, aut quantis indiciis divinitus præmonstratum sit pontificatus et prædicationis ejus officium, et quomodo per sedis apostolicæ privilegia ejus sit omnis causa munita, studiumque ejus et profectum in lucrando Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganismo ad Christianitatem producere quotidie satagebat, quisquis scire cupit, legat libellum vitæ ejus, et quantæ sanctitatis vir ipse fuerit perpendet. Nos nunc de ejus sanctitatis imitatore simul et dignitatis successore Remberto scripturi, qualiter primo ei cognitus sit et consequenter ascitus, hinc jam sequi incipiamus.

CAPUT III.

Cum jam dictæ noviter institutæ Hammaburgensis ecclesiæ termini essent angusti, et ad tantum officium quod episcopo ejus injunctum diximus, sumptus ex illius pertinentiis collecti non sufficerent, ipsosque etiam qui provenire possent redditus, frequens hostilis irruptio diriperet; ne per hoc vir Dei impediretur a prædicationis officio, quod in gestis ejus legatio ad gentes vocari solet, memoratus imperator Ludovicus

* Inclusa parenthesi inserta videntur a posterioribus, ut notatum est in Vita sancti Anacharii.